

D. O. M. & B. M. V.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**COCTIONE  
PATHOLOGICA**

Q V A M  
FAVENTE SVMMO NVMINE  
CONSENTIENTE GRATIOSA FACVLTATE  
MEDICA

IN  
*ALMA GEORGIA AVGVSTA*  
PRO  
**GRADV DOCTORIS**  
D. XXVII. SEPTEMBRIS MDCCCLV.  
PVBLICE DEFENDIT  
AVCTOR  
**AQVILINVS IODOCVS SCHMITT**  
FRANCO - TRAPPSTADIANVS

G O T T I N G A E  
TYPIS IO. CHRIST. LVDOLPH. SCHVLZII, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO INAGARVIA MEDICEA

DE

COGITATIONE  
PATHOLOGICA

Q A M

UAVENTE SUMMO NUMINE

CONSENTHENTE GRATIOSA RECITALTE

MEDICO

ALMA GEORGIA MAGNATIA

PRO

ERUDA DOCTORIS

DE XXVII SEPTEMBRIS MDCCXVI

EXERCITUS DILEXENDIS

VACUO

VOYPLIN SIEBOLDIACAS SCHMITT

LEIPZIG. TYPIS ET EDIDITIONIBVS

SCOTTIANA

LIBRARY OF THE CHURCH LIBRARY SOCIETY OF NEW YORK

REVERENDIS SIMO  
EXCELLENTISSIMO ET ILLVSTRISSIMO  
DOMINO  
DOMINO  
HVGONI FRANCISCO  
CAROLO  
S.R.I. COMITI AB & IN ELTZ  
KEMPE NICH,

*Ecclesiarum Moguntinae Metropolitanae Prae-  
posito & Jubilario, Metropolitanae Treviren-  
sis, & Equestris ad S. Albanum prope Mogun-  
tiam Canonico Capitulari, Cathedralis Min-  
densis, & Abbatialis Peesvaradensis in Hun-  
garia, ac Collegiatae B. M. V. Erfurti Prae-  
posito, Sacrae Caesareae Majestatis, nec non  
Eminentissimi, ac Celsissimi Archi-Episcopi  
& Principis Electoris Moguntini Consi-  
liario Intimo & Pro-Principi  
in Eichsfeldia &c.*

DOMINO MEO PERQVAM  
GRATIOSO



ILLVSTRISSIMO ATOVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO

DOMINO  
ANSELMO CASIMIRO  
S.R.I. COM. & NOB.D. AB ELTZ,

Comiti de Wuckewar, Dynastae Burggra-  
fenrodii, Domino haereditario in Trapp-  
statt &c. &c. Possessori pignoratitio in Kem-  
penich & Schmittberg, S. Caef. Maj. Imp. &  
Reverendissimi ac Celsissimi Archiepiscopi Elec-  
toris Moguntini Consiliario, actuali intimo &  
Cubiculi Praeposito Primicerio, Curiae aulicae  
Praesidi splendidissimo, & Oberlohnstenii Satra-  
pae, Reverendissimo Celsissimoque Trevirensum  
Archiepiscopo Electori a Consiliis intimis, Ma-  
reschallo haereditario, & Praefectorarum  
Mayen, Montis Realis & Keyserseeschii Prae-  
posito, Nobilitatis S. R. I. immediatae ad  
Rhenum superiorem & inferiorem  
Consiliario equestri,

DOMINO MEO  
INDVLGENTISSIMO,

D. D. D.



# DOMINO ME

## INDAEEENTISSIMO

• a a a

*ILLVSTRISSIMI S. R. I. COMITES  
EXCELLENTISSIMI DOMINI  
DOMINI  
AC PERQVAM GRATIOSI.*

Feretis non inique, quod modo publice  
audeam opusculum meum academicum.  
**V O B I S** immolare: Intuemini enim in  
me Cultorem ILLVSTRISSIMAE STIRPIS  
ELTZIANAE devotissimum, quin & subdi-  
tum fidelissimum; Credo enim, fidem, quam  
**V O B I S** debo, & venerationem a me postu-  
lare, quo tenues hosce labores eosque in  
arte salutari primos ILLVSTRISSIMO NO-  
MINI VESTRO humillime consecrarem.  
Nunc tandem scholis Medicorum egressus ad  
VESTRVM confugio Patrocinium, digne-  
mini enim VESTRA me frui gratia, quem  
tenuem fortuna fecit, meque tueri adversus  
Malevolorum injurias, quas noscitis juvenes  
Medicos quaquaversum infectari. Profecto,  
connatam ubi considero SPLENDIDISSI-  
MAE ELTZIANAE GENTI benigitatem,  
cogitare non licet citra grande nefas, gra-  
tiosa

tiosa unquam VESTRA destitui benevolen-  
tia. Conserua interim supreme Deus! HANC  
DOMVM ILLVSTRISSIMAM, conserva  
HOS COMITES EXCELLENTISSLIMOS  
tantas Germaniae Rhenanae Delicias; pro-  
tege HANC STIRPEM tot tantisque VIRIS,  
Pallio, Toga, Sagoque inclytis foecundissi-  
mam, elargire huic aeternam prosperitatem  
& Haeredum Gloriosorum seriem non inter-  
ruptam; Quam gratiam sane dignissimam  
candidissimis Votis iisque per omnem vitam  
perpetuis a Deo efflagitare non desistam:  
qui morior

*ILLVSTRISSIMI S. R. I. COMITES  
EXCELLENTISSLIMI DOMINI  
DOMINI  
AC PERQVAM GRATIOSI!  
WESTER*

subditus ac servus humillimus  
AQVILINVS JODOCVS SCHMITT  
TRAPPSTADIANVS.



## DE COCTIONE PATHOLOGICA

### §. I.


**S**i a partibus heterogeneis aut ubi loqui liceat cum HIPPOCRATE (*a*) *a bile & pituita sanguini* pexmixta temperies hujus & humorum perturbata fuerit, naturam postea cum morbis exinde subnatis, quorsum pertinet universa febrium profapia, ad excutiendam, suo e sinu hostilem materiam peculiari plane modo colluctari cernimus; Victoria enim natura prius non evadit, nisi cum tali morbo viribus suis fere universis ad luctam evocatis in certo tempore pugnaverit. Atque illa colluctandi ratio in legem adeo sancta est, quo ante naturae certamen, nisi summe nocere volueris, pharmacis ut ut egregiis hostem profligare non liceat.

### §. II.

Talis autem naturae pugna in ejusmodi morbis adeo necessaria, dicitur a medentibus coctio pathologica, quae coctionis denominandae ratio a vulgari ciborum coctione desumpta esse videtur, quoniam in ea aliquan-

(*a*) confer. lib. de affectionibus in quo ad initium omnes morbos ex *bile & pituita oriri* deleribit.

A



eliquantur corpora, separantur, atque mutantur.  
Quales quoque effectus, sed modo plane alieno in  
morborum concoctione fieri deprehendimus.

### §. III.

Quam utile vero sit quamque necessarium ad hu-  
jus concoctionis negotium attendere, is facile perspi-  
ciet, qui febrium tot periculosarum medendi rationem,  
in quibus sine praevia coctione salubre nihil exspecta-  
re licet, considerabit attentius. Quare contendō hu-  
jus rei gravitate commotus coctionis ejusmodi natu-  
ram, species, conditiones, requisita, discrimina,  
praefagia, modumque promovendi paulo vberius in-  
vestigare.

### §. IV.

In quo vero proprie consistat ejusdem concoctionis natura, explicatu sane difficile; eam quippe pone-  
re in transmutatione heterogenei in aliam plane sub-  
stantiam, id prohibet diversa diversorum humorum  
nocendi ratio. Quam enim in corpore humano tri-  
plex humorum genus elaboretur, nutritibilia scilicet,  
innutribilia, & supervacaneorum; ita profecto omnes  
peccare non possunt, ut, dum a digestione debellantur,  
in aliam plane substantiam omni vice mutentur. Vi-  
tia enim, quae communiter in humoribus damnare so-  
lemus, consistunt in tenuitate, crassitie, acrimonia &  
putredine; ad quae certe corrighenda transmutationem  
substantiae perpetuo natura non postulat. Neque eti-  
am quilibet humor, si vim coctionis jam sustinuerit,  
semper sub novae substantiae metamorphosi progredi-  
tur;

tur; quin adeo, si solos nutritiles excepéris, caeteri humores alienam sub cōctione substantiam nunquam adipiscuntur.

### §. V.

Respiciamus enim paulisper naturam in digestione pathologica occupatam, qua quippe ratione noxiros humores subigere consueverit; modo enim hostem opprimit suppuratione, modo illum dispergit attenuacione, modo incrassatione constringit. Primum agere naturam spectamus in humoribus nutritioni dicatis, cum reliquis oppugnantur innutribiles. In supervacaneis autem non multum operis natura adhibet, quem quippe solum in corpore retenti nocere possunt, hinc in eis commode eliminandis operam impedit.

### §. VI.

Verum vis attenuandi incrassandi latum adeo in cōctione dominium exercet, ut non solum ab hac sola humores nutritiles frequenter subigantur, sed & in ipso suppurationis negotio naturae praestet auxilia. Peccabit enim humor nutritibilis sola crassificare aut tenuitatem. Certe illa attenuandi & incrassandi potentia qualicunque arcano molimine adjuta tantam hostilitatem domare sufficiet; sic quoque suum contribuit incrassatio ad opus suppurationis, crassa enim est, si egreditur materies, rursusque si illa prohibetur ab ulcere, tunc sane ante sui proscriptionem, ut organa excretoria rite adire possit, attenuationem requirit. Ad hoc



hoc ipsum attentius respexisse videtur AVICENNA, (b) quum solum coctionem in maturatione quadam complectatur, quae in incrassando subtilia & crassa attenuando labore.

### §. VII.

Mirabile autem est, praeter has maturationis vires in coquendo humore nutritibili naturam suppuratione saepius quadam peculiariter uti. Ast ratio tam in ipsa corrupti humoris natura quam in ipsa corporis facultate latere videtur. Cogitemus enim humorem nutritibilem ex accessu cuiusdam heterogenei ita infectum esse, ut jam ipsa humoris principia labem contraxerint; esto enim quod partes illius oleosae noctae fuerint rancitudinem, quod salia ad acrimoniam exaltata humorum cogant ad putredinem; euidem ita labefactatus

ad

(b) vid. Tom. I. lib. I. Fen. I. Doctr. 6. Cap. 3. ubi ait: *virtus digestiva vero est illa, quae quod attractiva attraxit & reuinuit retentiva, in essentiam convertit aptam virtutum in ea permutationem facientium operationi & complexionem, quae conversioni nutritientis in effectu est competens. Haec est enim ejus operatio in juvative, quae vocatur digestio. Ejus vero operatio in superfluitatibus est, ut si possibile fuerit eas in hanc mutet dispositionem, quae etiam vocatur digestio, aut ut earum egressionem a membro in quo sunt retentae facilem efficiat cum expulsione, earum attenuando essentiam, si, quod prohibet, fuerit grossities: aut ingrossando, si, quod vetat, fuerit tenuitas, aut incidendo, si, quod vetat fuerit viscositas. Et haec quidem operatio vocatur maturatio. Est tamen, quum digestio & maturatio synonyma dicuntur.*



5

ad ulteriora nutritionis munia non erit idoneus, subiectus tamen est virtuti corporis assimulanti, quae eum alias partium solidarum substantiae conformem reddere solet, haec igitur immutata pergit in assimilationis negotio, praeparare quidem incipit humorem, sed eum adeo corruptum & inhabilem in corporis substantiam transferre non poterit, adstringit proinde suas vehementius vires, convocat etiam maiorem calorem, sed rebelle humoris corrupti ingenium communem assimilationis formam repellit; erit autem humoris indoles non adeo perversa, quo naturae ita vehementer laboranti aliquatenus ausculturatur, mutatur quidem ille, sed communem corporis substantiam adipisci nequit, & quod ait FERNELIUS (c) in materiem inter corporis substantiam & putredinem quodammodo medium convertitur, quam denique sub communi nomine puris agnoscimus.

### §. VIII.

Praeter communem vero puris materiem statuit per-

(c) lib. III. de method. medendi cap. XII. ita se exprimit; non aliter calor corporis alimentum, aliter putridum humor rem concoquit; neque ut quibusdam videtur pus a duplice calore tum naturali tum praeter naturam sit, sed a naturali solo, agente tamen in materiam, quae caloris praeter naturam est particeps. Hanc neque prorsus vincere, neque in corporis substantiam, sed in pus solum mutare potest, quod est putredine melius ac inter putredinem corporis nostri substantiam medium.

A 3



perspicacissimus FERNELIUS aliam adhuc elaborari quam dicit puri finitimi (d); sed quo in loco talem inquiramus? videtur (e) quidem illa reperi in sedimentis urinarum quae jam pridem etiam HIPPOCRATES (f) purulenta dixit; ipsam proinde sedimini massam nil nisi materiem purulentam esse, solum a communi qualitatibus quibusdam differentem statueret audio, appello enim hoc in genere ad ipsam experientiam & Divinam HIPPOCRATIS doctrinam: prior testatur, ulcera vix nata derepente suppressi, quando largior quaedam turbidi lotii copia subito proflue-re solet; posterior autem ita loquitur (g) quibus spes est abscessum fore ad articulos, eos abscessu liberat, urina multa & crassa & alba reddit, qualis in febris cum laetitudine quarta die quibusdam fieri incipit. (h) Praefoca semel abscessum ad aures in cunis adhuc iacentem,

(d) IDEM eodem loco: vitiosus vero putridusque humor & a natura prorsus alienus, tametsi in corporis substantiam nequeat faceffere, concoctione tamen in aliiquid melius & naturae convenientius, ut in pus: aut in quidpiam, quod sit puri finitimum deducitur.

(e) IDEM pergit eodem loco: venarum vero majorum succus putrescens in aliiquid mutatur, quod est puri finitimum, hujus in urinæ sedimento conspicuae sunt notæ.

(f) confer lib. progn. ubi ait: solvit etiam purulenta mixta urina album & laeve habens sedimentum.

(g) Aphor. sect. IV. aphor. 74. etiam in lib. de cris.

(h) juvat hic apponere locum ex HIPP. epid. Stat. III. lib. I. Sect. II. quibus febre judicatorie defnente tumores ad aures in febris cum doloribus suborti neque conquiescent, neque suppurantur, eos profluvium ut intestinorum difficul-tas,

repelle tempestivis emollientibus materiem stagnantem & demum contemplare urinam, illa ut plurimum albo sedimine scatebit, quod ex humore nutritibili in purulentam materiem imperfecte mutato subnatum credimus. Quod enim in ulceribus purulenta materies crassior evadat atque elaborat, hoc certe quiescenti materiae & a fluidiorum cohaesione separatae & partim sub calore partim sub ipsa facultate assimilante longius versanti debetur.

### §. IX.

FÖSIVS quidem in annotationibus ad (i) locum praenotionum coacarum in quibus HIPPOCRATES ait: *morbos praecepites praeter alias evacuationes urina purulenta ac vitrea affatim redditam solvi*, meminit ERASISTRATI, quondam etiam sedimentum urinarum in febricitantibus pro pure habentis; verum huic opinioni multum adversari videtur ipse FÖSIVS, quoniam sedimenta ejusmodi in subjectis bene valentibus tantum in voracitate & otio peccantibus observarentur: ast dubitate adhuc licet utrum tale sedimen cum sedimento in febribus concocto similitudinem habeat; annon potius cum sedimine crudo comparandum eslet. Esto etiam

*aut quod in urinis crassis subsidet liberat.* item epid. lib. VI. Sccl. IV. aphor II. *urina crassa alba qualis Archigenita nisi puro aderat interdum in febribus, quae sunt cum laetitudinis sensu quarto die prodit & ab abscessu vindicatur.*

(i) Praenot. coac. loc. CL.



etiam, quod illa sedimina cum febrilibus essent con-sanguinea, non tamen exinde recepta cadit opinio, nam in statu sanitatis regnant eadem vires quae dominan-tur in pathologico, praeest hic eadem virtus humores assimilans ac concoquens, id solum agit pacatius, quod in mala valetudine operatur vehementius, proinde lentius humores concoquuntur. Atque ille humor nu-tribilis, qui in plenam corporis substantiam converti nequit, transit solum in imperfectam, quam dicimus purulentam, adeoque credere licet, etiam in statu sa-nitatis naturam concoquere urinam ejusmodi, quum & leves abscessus & ulcuscula in corpore satis bene va-lente saepius creare soleat.

### §. X.

Natura vero hanc coctionem suppuratoriam vel in universa sanguinis massa universis visceribus mutuo sibi auxiliantibus, vel in quodam viscere speciali aut interno aut externo moliri consuevit; idque eadem agit pro causarum varietate, quae vel suo operi magis aut minus favere, vel prorsus reluctari solent; erit enim morbus non adeo vehemens & minor mitiorque humoris nutrientis perversitas, eam aut leni suppuratione vel in ipso sanguine instituenda natura domabit, vel ad exteriora corporis, glandulas quippe hic loci, e-ductam materiem suppuratione quidem fortiori minus tamen periculosa cicurabit: agitabuntur autem humores a vesaniori morborum ingenio, pelluntur ut plu-ritum ad intimos viscerum recessus, ex quo denum suppu-

suppuratio omnium longe periculosissima consequitur; humor enim nutritibilis cum innutribili, perversus cum laudabili commixtus haeret, omnes hic inclusi fatiscunt in putredinem & loco puris nobilioris concoquit saniem virtus assimilans, inde vasa eroduntur, deflunt sanguis aliisque humores, putrefuscunt & illi, saniem augent prorsusque viscus depopulantur.

### §. XI.

Perspecto nunc opere concoctionis suppuratoriae transgredi juvat ad communiores felicioremque digestionis speciem, quam dicimus cum AVICENNA maturationem, qua natura hostem viribus attenuandi & incrassandi oppugnatum debellat. Hoc ipsum vero plerunque spectare licet in humoribus a nutritione exclusis; tales enim utpote facultati corporis assimilanti non subjecti in purulentam substantiam, non convertuntur; frustra sane natura ageret in iis commutandis tantum laboris impendere, damnati enim sunt excretioni, si semel suis sunt defuncti officiis; propterea sufficiet illos solum ad excretionem obeundam rite preparare, cui negotio pulchre expediendo attenuandi & incrassandi vires praecitate opitulantur. Producamus huc unum aut alterum humorem excrementarium eumque labefactatum; cogita bilem vel exundare in sanguinem vel inviscatam haerere in hepate, certe si sanguinis temperies illibata servetur, vel ita erit attenuanda, ut sub forma urinae vel sudoris dispergi queat, vel ad loca natalia reducenda erit, quo incrassata rursus primasque in vias effusa expurgetur. No-

B

cebit



cebit forsan sua crassitie, illa profecto non aliter nisi ab attenuatione domari poterit. Quod autem natura in statu coctionis morbosae in attenuanda bile saepius occupetur, loquuntur toties ieteri (*k*) acutis febribus innati; sic attenuationis illius incrassationisque (*l*) praebent specimina Diarrhaeae in febribus tam symptomaticae tam criticae, vel enim resolvitur bilis jam dudum viscosa latens in hepate, vel oberrans in sanguine ad locum genitalem refertur, paululumque incrassata effunditur. Grassabitur autem ea longe lateque sua adeo potentia acrimonia, quidnam ipsa attenuatione melius pleniusque ferociam mitigabit? vel enim bilis peragrabit cum sanguine vasa & viscera vel domi suam in matrem grassabitur, atque dum vasa visceraque pervagatur, dum in eam toties repetiti arteriarum iactus insiliunt, dispergitur inde virtus ejusdem cuncta, divelluntur ejus particulae a contactu propiori, extenuantur oleosae, funduntur salinae, quae vel transpiratione vel ad renes descendendo cum urina amendantur. Ita quoque si tenuis falsusque humor illabatur pulmonibus, per incrassationem mitigata exscreatur,

(*k*) vid. Aphor. Sect. IV. 64. quibus in febre septima aut nona aut undecima aut quarta decima morbus regius supervenit, bonum est: nisi dextrum hypochondrium durum sit: alioqui non bonum.

(*l*) eadem Sect. aphor. 62. quibus in febre morbus regius supervenit ante septimum diem malum est: nisi confluxus humorum per alvum fiant. Multa de his quoque prostant in epid.



tur, pituita vero tenax pulmones glandulasque asperae arteriae obstringens cum extenuatione incrassatur; hujus rei veritatem ostendunt sputorum emissiones in pleuriticis peripneumonicis atque asthmaticis.

### §. XII.

Ex his demum elucet, concoctionem pathologiam nil aliud esse nisi humorum peccantium correctionem & destructionem. Correctionem quidem natura adhibet in mitioribus humorum vitiis, quae vel in crassitie vel tenuitate excedente collocavimus: hujus instrumenta sunt attenuatio & incrassatio. In humores vero acres & putredinosos natura destructione animadvertis, cujus arma naturam vindicantia praeter attenuationem in bona vel mala suppuratione specialiter consistunt.

### §. XIII.

Quum ita vero annitur vis coctrix materiem morbificam aut bona suppuratione aut felici maturatione impugnare, haud raro evenire solet, quin conamina illius adeo salubria sinistre ut plurimum succedant, & dum consummatum ab ea & perfectum faustumque opus exspectamus, aut nullum, aut inchoatum, aut saltem imperfectum, aut plane deterius adipiscamur. Quo in genere imprimis accusamus perversam nimis malignamque humorum indolem, quam toties in acutis febribus experimur; quoties quaequo in illis spes omnis concoctionis tam subito absconditur, quam antea saltem aluimus in exspectatione suppurationis pericu-



Iosae. Adde huic exuberantem hostilis materiae copiam, quae largis velut per viscera labens fluctibus, in opere concoctionis naturam suppressit. Accusa pariter invincibilem fere materiae peccantis crassitatem, quae frangit naturae vires, viscera tenaciter obsidet, obstructit, prorsusque demum indurat; certe si matres cum viribus naturae fractis inclusa haeret visceribus, neque ab attenuatione, neque a meliori suppuratione concoctionem sperare licet. Habemus quoque tristia malae ac impeditae digestionis monumenta ex parte viscerum, eorum enim debilitates labesque ingenitae hostilis materiae cruditatem nutrire ac confirmare saepissime solent. Quantum vero valeat individuorum ratio ad concoctionem sufflaminandam, quotidiana eloquitur experientia; ecquis bonam sibi promittit coctionem in corpore debili & cacoehymico latenter phthisico & contabescente, in vita & victu luxurioso, laborante ut plurimum hypochondriis? (m) aetates etiam magis vel minus huic negotio favere prehendimus, ita corpora nimis Juvenilia febre ardentiore correpta, quum deficiens partium robur morbi vehementiae reluctari nequit, cum spe bonae concoctionis ruunt ad exitium; Corpora vero senilia arida

(m) in his enim hepar male affectum est. quanta vero in hepatice sedeat potentia audiamus desuper ARETAEVM de caus. ex sign. diutur. lib. XIII. hepar in morbis & ad sanitatem & ad mortem valentissimam causam habet, quantoque ad sanitatem melius est, tanto deterius in morbis.

da quippe & rigida hisce sub morbis desperata conclamans. Utinam quoque anni tempora (*n*) concoctioni non resisterent! tempus enim brumale quoties acutis febribus funestum comperimus! sic & autumnale, quum aestas servidior bilem adassirerit, accensas ab hinc febres ardentes meliori concoctione destituit. Consideremus porro tot diversa morborum ingenia, quantum quaeſo ludere solent in digestionis negotio! modo citius quam par est coctionem intendunt, modo protrahunt eam plus aequo longius per plura hebdomadum spatia, modo materiem jam coctam, quum illam eliminare debeat, funesta metastasi ad viscus nobile deducunt.

#### §. XIV.

Vbi vero nunc aderit coquenda materies iusta quantitate & proportionata ad facultatem concoquenter, ubi illa erit cicuratoriſ ingenii, crassitie adhuc superabilis, ubi viscera vegeto gaudebunt robore, ubi pervia erunt, omnisque obſtructionis libera, labisque occultae immunia concoctionem tunc felicem & impedimentam, aut ex maturatione, aut ex meliori suppuratione nobis promittere licet.

#### §. XV.

In quo autem opere rite peragendo non pauca etantum horae sed plurium dierum spatia consumuntur

(*n*) de his testari possunt libri HIPPOCRAT. *Epidem.* & *fect.*  
III. *Aphor.*



tur. Id dudum observavit HIPPOCRATES, (o) cum  
ait paulatim fieri debere concoctiones: natura ideo  
in febribus ambitum temporis a morbi principio usque  
ad vigorem & ultra in ea perficienda impendit; quo  
nunc morbi erunt vehementiores, illos eo citius ad vi-  
gorem vergere, & pauciori dierum spatio concoctionem  
peragere videmus. Neque vero illa concoctione  
per totum morbi tractum aequabiliter decurrit, sed ipsis  
morbi exacerbationibus adstringitur; inde urinae ma-  
tutinae, quae sub earum declinatione emittuntur, sem-  
per certiora produnt coctionis signa, quam diurnae  
sub remissionibus aut initii emissae. Certe non inuti-  
le hic erit, ad digestionis principium quoque respi-  
cere: id teste HERCVLE SAXONIA (p) hariolari  
licet ex urina, si illa quamvis pellucida circa principi-  
um emissâ, post breve emissionis tempus putrilaginem  
concipiatur. (q) AVICENNA quoque pulcherrime  
tempus assignat, concoctionem dignoscendi: inquit  
enim: *augmentum quidem est hora, in qua commovetur*  
*caliditas innata ad resistendum materiet motu manifesto &*  
*apparent signa digestionis aut signa contraria digestioni.*

### §. XVI.

Illa signa vero, quae tum temporis apparere so-  
lent, non levem profecto merentur attentionem, co-  
piam

(o) Sect. II. lib. de crif.

(p) Medic. pract. lib. VI. de urinis Cap. XXIV. pag. 475.

(q) Tom. II. lib. IV. fen. I. Tract. I. cap. III.

piam enim faciunt tam varias concoctionis species ac qualitates, quam diuersos ejusdem eventus dignoscendi. Quare quum ante docuimus naturam in morbis partim maturatione, partim bona vel prava suppuratione concoctionem moliri, easque digestionis species pro morbi ingenio aut citiori spatio, aut tardiori circumscriptas esse; sane oportet, ne facile nimis in medendo inpingamus, ad illa indicia probe respicere, quae nobis tam speciem concoctionis quam durationem illius ostendant. Hoc in genere plurimum urina praestare potest ex (r) MONTANI sententia; is enim ait: *apparere rationem certitudinem & firmitatem habitae cognitionis ab urina, quia nulla signa sunt certiora in naturalibus & ex naturalibus nullum certius urina, quum immediate discedat a sanguine.* Proinde citam si lubet coctionem agnoscer, DIVINI HIPPOCRATIS audiamus oraculum: (s) *quibus morbi septima die judicantur, iis nubeculam rubram urina die quarta continet, & alia secundum rationem;* cui quidem decreto fidere licet, si etiam quaedam symptomata gravia ante & periculosa transibunt. Ad diuturnitatem vero coctionis dignoscendam non solum prostant decreta HIPPOCRATIS, sed aliorum observationes memoratu dignae; ait autem DIVINVS (t) SENEX: *urinae, quae habent sedimentum instar farinae crassioris, morbi longitudinem significant*

(r) Medic. part. II. tract. de urinis pag. 565. (s)

(s) Aphor. Sect. IV. 71. (t)

(t) Aphor. Sect. VII. 31. (v)

ficant. Eequid aliud ex longitudine conjicimus quam tardam nimis, neque etiam periculo liberam (u) fieri concoctionem? consulamus AVICENNAM (x) de tarditate coctionis pluribus loquentem. Ait enim: in urina sedimen rubeum significare multitudinem sanguinis & tarditatem digestionis: cui accedit, quod alibi dicit (y): urina valde rubea si convertatur in febribus ex laetidine factis ad grossitatem, dein appareat sedimen plurimum non subsidens & sit illic dolor copitis, significat longitudinem aegritudinis, quoniam materies est inobediens; & rursus circa finem hujus capitii inquit: ad summum urinae substantiae & rubei sediminis significant immaturitatem & cruditatem & significant longitudinem proprie, quando rubeo non est vehemens & sit declivis ad turbulentiam. Cui quoque ex eo adjungamus sequentia (z): urina quae mingitur quandoque multa & pauca, quandoque retinetur & non mingitur, est signum malum in febribus significans pugnam vehementem aegritudinis & naturae, quae vincitur & vincit, & significat laborem naturae, & significat etiam grossitudinem materiei, & quod ipsa difficulter suscipit digestionem; si autem fuerint febres quietae indicat longitudinem

(u) HERCVL. SAXON. Pract. Medicin. lib. VI. de urinis Cap. XXIV. pag. 476. at vero ubi urinae longitudinem significant non necessario ostendunt salutem: nam in progressu morbi varia fit circa aegrotantem mutatio.

(x) Tom. II. lib. IV. sen. II. Tract. I. Cap. LXXXVIII.

(y) IDEM eodem loco Cap. LXXXVI.

(z) idem eodem Cap. LXXXI.

(a) Aphor. Sect. IV. 37.

itudinem propter grossitudinem humoris. Pertinet huic quoque ad dignoscendam coctionis durationem, judicium **HIPPORATIS de sudoribus (a)**: *sudores enim frigidi dictante eo cum acuta quidem febre evenientes mortem cum miniori vero morbi longitudinem significant.* Ita rursus aliud ab eo prostat decretum (b): *febricitanti sudor superveniens febre non remittente malum, prolongatur enim morbus & copiosiorem humiditatem indicat.* Num vero ex morbis diu protractis bonam coctionem sperare licet iterum decernit ille sequentibus: (c) *quibus febres longae, bis tubercula ad articulos aut dolores sunt.* Signa quoque ex urinis habemus, quae obscuram nobis coctionem enunciare solent, ex quibus, quae species digestionis & quando eventura sit, aperte conjici nequit. Sic urina tenuis & aquosa cum nebula alba obscuram (d) clamat coctionem, quam etiam damnat (e) **HIPPOCRATES**, dum ait: *candidas urinas & tenues vitiass esse.* De his autem pulchre judicat AVICENNA (f) *urina*

(a) *Aphor. Sect. IV. 37.*

(b) *Aphor. Sect. IV. 56.*

(c) *Aphor. Sect. IV. 54.*

(d) **Foësius** de tali urina in *annotationibus ad HIPPOC.*  
*praenot. coae. & quidem ad locum 203. ita judicat: hu-*  
*jusmodi vero suspensa alba in aqua urina partim co-*  
*ctionem partim cruditatem indicantia in longo & salua-*  
*ri ad abscessum facilius inclinat.*

(e) *Progn. Text. XXVIII.*

(f) *Tom. II. lib. IV. sen. II. Tract. I. Cap. LXXXIV.*



*urina inquit, alba in aegritudinibus significat declinatio-  
nem materiei non ad partem venarum & instrumenta uri-  
nae, fortasse enim declinat ad quaedam viscera & significat  
apostema.*

### §. XVII.

Quod vero nunc concernit coctionem suppura-  
toriam probe dignoscendam non pauca hoc in gene-  
re occurunt indicia, siquidem multa desuper Hippo-  
cratica loquantur. Ita vero suppurationem testantur  
perpetuae aegrorum lassitudines, inde HIPPOCRATES  
(g) per febres lassatis ad articulos & maxime ad maxillas  
abcessus fieri enunciat; sic & rigores ad febris augmen-  
tum redeentes purulentam eamque graviorem nobis  
praedicant coctionem; nam ait HIPPOCRATES (h): (qui-  
bus per febres sexta die rigores fiunt, difficulter judican-  
tur: quum testante (i) eo: rigores multi cum torpore ma-  
lignum quoddam denunciant, si vero horrore subinde aegri  
corripiuntur ad suppurationem deveniunt, quin etiam febris  
(k) ad suppurationem dicit. Certe rigores febribus in-  
flammatoriis (l) supervenientes coctionem viscerum suppu-  
ratoriam portendunt. Id ipsum quoque promittunt do-  
lores a morbi principio partem cum inflammatione te-  
na-

(g) Aphor. Sect. IV. 31.

(h) Aphor. Sect. IV. 29.

(i) Praenot. coac. loc. 13 - 14.

(k) Praenot. coac. loc. 422.

(l) HIPPOC. aphor. 7 - 23.

naciter obsidentes, si enim ultra vicesimum diem perseveraverint, praedicunt suppurationem (*m*), quam etiam, si quidem non mortem constantia aegri deliria, sopores atque stupores ostendunt (*n*). Surgunt quoque multa malae coctionis documenta ex variis morborum mutationibus. Pessimae harum sunt, si peccans materies locum paulo ignobiliorum occupans in viscus quoddam nobilium excurrat, aut si tale ab ignobiliori rapiatur in consensum. Sic morbosca materies, quae prius in latere gignerat pleuritidem, subito sua sede avulsa obruendo pulmones parit peripneumoniam, quae vel sine concoctione citam efficit mortem vel saltem digestionem suppuratoriam intendit (*o*). Possem hic quoque copiosa afferre indicia, quae nobis futuras vel jamque a natura vel ipso a morbo destinatas suppurationis sedes ostenderent; sed, cum chartas implerem exscriptis ulterius iisque adeo largis Authorum (*p*) sententiis & observationibus desistere consultum duco. Deficient nunc vero sub tempore digestionis memorata modo

(*m*) HIPPOC. progn. 58. & GALEN. lib. IV. de loc. affect. Cap. VIII.

(*n*) de his consuluntur varii loci in *praeonot. coac.*

(*o*) huic obflare videtur locus 397. *coac.* sed COELIVS AVRELIANVS cap. XXV. lib. II. acut. periculosorem habet peripneumoniam, quae pleuritidem consequitur, cui etiam accedit ARETAEV S Cap. X. lib. II.

(*p*) conferri possunt HIPPOC in *Aphor. Coac. & aliis locis & AVICEN.* Tom. I. & II. cap. X. de signis apostemata declarantibus.




modo indicia, eritque aeger in augmento satis robustus, mente sanus, cum alto pulsu & vehementi, cum libera respiratione, cum urina rubra, sedimento albo, levi, aequali, obnubilata, cum sudore universo, calido, minus largo, tunc morbi digestionem potiori jure per maturationem feliciter absolvi judicare licet.

### §. XVIII.

Ut autem illud concoctionis negotium, quod natura vel in humore nutritibili suppurando vel maturando innutribili adeo sollicite tractat, facilius feliciusque expediatur, necesse est illi per commoda iusta que remedia dextre opitulari. Quo in genere opem sane divinam praefstant sanguinis missiones; minuant enim exorbitantem sanguinis materiaeque peccantis copiam, quae toties causando periculofas viscerum plethoras naturam digerentem vel maxime suppressit; tales enim praeccludunt humoribus iter, ne intimiora viscerum penetralia subire queant; in quibus tamen vel ad futuram leniorem suppurationem aptentur, aut virtute attenuante mitigati ferociam dediscant. Multum quoque levaminis fuscipit concoctio a lenioribus catharticis vix non quotidie propinandis, aut enim illa dispergunt hostilem materiem primis ex viis, quae jam pridem extorris e sanguine rursus hic novas resumere vires intendit, vel adeo aut ipsum materiae fomitem hic loci regnantem prorsus evellunt: morabitur enim in febribus hic paulo longius vitiosa bilis, exasperata magis ruet ad sanguinem, humores vesanius corruptet, febre

brem fortius accendet, inde salutaria coquentis naturae conamina penitus sufflaminabit. Quantum vero valeant in promovenda morborum digestione remedia antiphlogistica, quotidiana testari potest experientia. Repetamus hic enim una ex parte illam concoctionis speciem, qua attenuatione & incrassatione hostis subigitur, ex altera vero cogitemus antiphlogisticorum agendi rationem, a quibus certe quam virtus eorum tam in attenuando quam incrassando potiori jure consistat, multum concoctionem adjuvari sperare licet; non tantum quidem ad suppuratoriam coctionem contribuere possunt quantum ad maturatoriam, pus enim haec pharmaca parere nequeunt, nam hoc opus soli naturae paucum sanctorum reservatum est, sed ad meliores puris qualitates, quam & illud ex aquo tenue crassum nec putrilaginosum esse debeat, non pauca conferre possunt. Quid igitur agunt tot salia neutra? quid nitrum? quid sal ammoniacale? quid acida vegetabilia? quid oximel & acetum? plurima cum illis experimenta virtutem eorum attenuandi, incrassandique satis edocuerunt (q). Camphora certe praestans illud in morbis acutis remedium praeter vim putredini resistenter sua penetrabilitate manifestam attenuandi virtutem ostendit. Hic quoque meminisse juvat, herculei febrium domitoris corticis quippe peruviani, quantam quaequo possidet ille attenuandi potentiam, si quadam largiori dosi & intempestiva quidem propinetur, profligat subito magnam satis

(q) inspice dissert. doctiss. RHADES. conscriptam de ferro  
in sanguine.



satis materiae hostilis copiam, sed opus coctionis interrumpit, reliquaque materies fugit ad viscerum latbras, quo denum viribus auctior erumpat ferocius. Atque hoc ipsum corticis exemplum nos erudire potest remediis hisce attenuantibus paulo circumspectius certo scilicet tempore certaque uti quantitate. Si vero maturoriam obtainendi concoctionem spes nulla adfulgeat, sed mera digestionis suppuratoriae molimina appareant; qua tunc ratione tuto naturae subveniendum idipsum praecclare nos docet (*r*) **HIPPOCRATES**. Proinde si corporis exteriora petat abscessus, in quo benignae indolis suppurationem nobis promittimus, variis emollientibus, attrahentibus, ac denique maturantibus sedulo occurramus (*s*). Si vero praecurrant quaedam indicia accessorum adhuc esse pejoris ingenii abscessum, quo eum in ortu praefocatum, fractumque aliorum declinemus, omni studio connitendum: idque faciamus eo promptius, si talis vel adeo nobile quoddam viscus devastare minitetur. Quo quidem

in

(*r*) Epidem, lib. II. modum tractandi abscessus sequentibus de-  
larat. Hacc igitur perpendiculariter abscessus procurare con-  
veniet, si non siant: quosdam vero qui jam sunt, de-  
clinare, quosdam etiam qui qua & qualiter oportet pro-  
dierint, recipere. Qui vero ne abunde quidem prodeunt  
coadiuvandi sunt: quidam etiam qui prorsus sunt in-  
commodi avertendi, atque eo maxime si nullam adhuc  
sui significationem edidere, sed futuri sint, alioqui vero  
cum adhuc rude habuerint initium.

(*s*) videatur **AVICEN**. Tom. II. fen. III. lib. IV. Tract. I. &  
**FERNELIUS** lib. VI. method. medendi Cap. XI. de ma-  
turantibus.

in casu certe vesicatoria (t) repetitis vicibus adhibita atque potissimum ipsa (u) setacea praecclare auxiliantur; credere enim licet, naturam, si semel in morbo suppuratorum moliatur abscessum, vitiosos humores non aliter nisi sola suppurandi ratione domare posse, nam tam vesicatoria, quam ipsa setacea, quamvis largam quotidie humorum copiam effundant, vix tamen laudabilem praestabunt effectum, nisi ex viseribus evocatos humores purulentos reddiderint.

(t) vid. Dissert. *Doctiss. F. E V E L E I N* habita Gottingae de *ulcerum artificialium usu.*

(u) vid. Dissert. illust. atque excellent. *Archiat. ac Profess. B R E N D E L I T* de *phthiseos & hecticae discrimine & setaceorum utrobique usu.*

E R R A T A,

Pag. 5. lin. 2. loco assimilanti lege assimilanti.

Pag. 8. lin. 1. post febris adde non.

Pag. 6. lin. 4. loc. audio. lege audeo.



D O.

DOCTISSIMO DOMINO  
C A N D I D A T O  
AMICO SVO CHARISSIMO  
SALVTEM PLVRIMAM!  
ADOLPHVS GÖTZ, MOGVNTINVS, MED. STVD.  
OPP.

Quanta sim laetitia affectus, quum scio Te propediem creari in Do-  
ctorum, facilius est Tibi existimare, quam mihi scribere; No-  
scis enim, quantum Te amaverim propter Tuum ingenium,  
suavitissimos mores, singularem probitatem, quantumque Tua humanita-  
te in consuetudine quotidiana delectatus fuerim; ideo mihi nihil optabi-  
lius accidere potest, quam in Tuis rebus secundis, & Tui honoris glo-  
riaeque augmento lactari. Neque terre quisquam est honore doctorali  
Te dignior, quum in Te omnia, quae olim pro Medico requirebat  
Antiquitas, quaque adhuc hodie sumnoperu valent, cumulata videamus. Nam  
in Delphico Apollinis simulacro Charites associatae fuerunt, Citharam,  
Tibias & Fistulas manibus tenentes non tantum ad Musices & Carninis  
inventionem denotandam, verum etiam quod Medicum deceat esse hu-  
manum, gratiosum & affabilem, si etiam eum in finem eidem simulacrum  
serpens adjungebatur, quo ostenderetur, Medicum ubique prudentiam  
comitari debere. Quilibet sane fatebitur Te omnibus Medicis dotibus in-  
structum esse, si Tecum familiariter agens ad illa modo respiciet, nam  
semper Tuis in rebus summam prudentiam, humanitatem & amabilita-  
tem ostendis. Quare Tibi de illis Medicinac honoribus, quos tam di-  
gne mereris, quiqe Te publice Medicum haud vulgarem profitentur,  
sincere gratulor, mihique persuadeo, si redieris in Patriam tanta doctri-  
na nobilis, Franciam suis exitam sedibus Tibi obviam venturam esse,  
quo populariem in salutem concivium adeo potentem humeris velut exci-  
piat, eumque inter festivas congratulationes suum in gremium deportet.  
Ordire tunc interim auspicio tuam praxin, eamque inter fructus, quos  
Tibi precor uberrimos, exerce; mei vero, si subinde pristinorum re-  
cordatio Te delectabit, non obliviscere. Vale.

01 A 6510



vol 18

D  
S  
1



15

D. O. M. & B. M. V.

---

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

# COCTIONE PATHOLOGICA

---

P V A M

FAVENTE SVMMO NVMINE  
CONSENTIENTE GRATIOSA FACVLTATE  
MEDICA

IN  
ALMA GEORGIA AVGVSTA

PRO  
GRADV DOCTORIS

D. XXVII. SEPTEMBRIS MDCCCLV.  
PVBLICE DEFENDIT

AVCTOR  
AQVILINVS IODOCVS SCHMITT

FRANCO - TRAPPSTADIANVS

---

G O T T I N G A E

TYPIS IO. CHRIST. LVDOLPH. SCHVLZII, ACAD. TYPOGR.